

tum bonarum artium, accesserunt, et, in optimo aetatis flore constituti, ardentissimis parentum votis, et bonae spei, quam patria cuiusque de fructibus studiorum in academia colligendis, domumque reportandis concepit, satisfacere satagunt, quid suarum partium sit, adhuc in tempore cogitent, et, si quos forte malus quidam abstulit in discendi studendique ratione error, aut caeca et inconsulta talium magistrorum, qui mixtam cum falsa opinione scientiae ignorantiam atque stultitiam, vel inter ipsas mulierculas, produnt, transuersos egit adfectatio, leniter corrigantur, siue potius blande moneantur, et contra pestilentes iurisprudentiae studiis opiniones mature muniantur. Quod nequitiae magister Ouidius <sup>a)</sup> de voluptatum illecebris, iuuentuti in academia praecipue fugiendis, cecinit, id longe alio sensu, seuerae in litteris proficiendi rationi adcommodatum, quotidie in ore illorum animoque versetur:

*Vtendum est aetate: cito pede labitur aetas,*

*Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.*

Ex his autem, quae diximus, simul et illud intelligent omnes, quibus de studio iurisprudentiae sententiis adolescentibus a me, doctore priuato, hucusque fuerint imbuti, et

a) Ouidius *Lib. III. de Art. Am. v. 65. seq.*